IOANNIS MANARDI IN GALENI ARTEM MEDICINALEM PRAEFATIO.

PLERISQVE eorum prætermissis, quæ librorum expositionibus præscribi consueuere, paucula tantum de autore, de libri titulo, de subiecto, ordineq́ præfabimur. Autorem huius libri fuisse Galenũ, nemo est qui ambigat, licet phrasis ipsa & elocutio non multũ Galenica uideatur. Plus enim potuit sententiarum concinnitas, uniuersalis inscriptio, cęterarũq́ hic cõmentationum, atq́ huius in cæteris mentio, quàm styli difformitas, quẽ premere in hoc scribendi genere fuit necessarium. Natus est Galenus in Pergamo Asiæ ciuitate, patre Nichone Geometra, & architecto diuite, & in primis disciplinis erudito, naturaq́ ipsa ad philosophandũ disposito, sed in Geometria & Astrologia ad summum prouecto, sicuti ipse Galenus in octauo Therapeutices libro scripsit. Ab hoc in somnis monitus, cum philosophiæ iam esset initiatus, ad medicinæ studium inductus est, ut lib. nono eiusdem Therapeutices legitur. Vixit sub Cęsaribus, Adriano, Antonino Pio, Marco, & Cõmodo, sub Antoninoq́ Romam primo profectus est, quemadmodum ipse scripsit in prooemio lib. Anatomicarũ aggressionũ. Discipulus primo fuit Satyri, secundo Pelopis apud Smyrnã. Fuit Satyrus discipulus Quinti, cuius sæpe meminit Galenus: quem tanti fecit, ut Corinthum Numesiani gratia petierit, qui & ipse discipulus Quinti probatissimus fuerat. Alexandriam quoq́, aliaq́ multa loca petijt, ubi esse aliquem Quinti discipulum intellexit. Ex Alexandria annos octo & uiginti natus in patriam reuersus, omnia quæ cognouerat pharmaca amicis medicis dedit, ut ea per experientiam confirmaret, quæ ab alijs didicerat, sicuti secundo libro de pharmacis secũdum genus, attestatur. A pontifice iam uigintinouẽ annorũ, omnium eorum curam accepit,

Galeni uita.

Galeni præceptores.

qui in duello fuissent uulnerati. Quæ res sibi ita prospere cessit, ut nullus impeditus aliquo membro remãserit ex ijs quos curandos suscepit. Varia dehinc loca, uaria medicamenta inquisiturus perlustrauit, sicuti nono lib. de Simplicib. medicamentis ostendit. Sanus in infantia beneficio patris perseuerauit. Puer factus ob fructuum esum ægritudine acuta laborauit: ad pristinum uictum à patre restitutus, anno ætatis decimonono sanus permansit: sequente, uictu sociorũ usus, iterum ægrotauit. Posterioribus similiter annis usq; ad uigesimũ octauum, uel singulo quoq;, uel tertio anno, morbo aliquo laborauit. Post xxviij. sanum semetipsum conseruauit, postquam uidelicet salubrem methodũ adinuenit: nullum morbum deinceps passus præter ephemeram febrem, quam aliquando ob immodicos labores incurrit. Scripsit plurima non solum in medicina, sed & in philosophia, Grammatica & Geometria, ut Suidas testatur: uerum & in dialectica, sicuti in lib. de differentijs pulsuum ipsemet dicit. Laudis humanę contemptor adeò extitit, ut nũquam suis commentationibus proprium nomen subscripserit, ut septimo Therapeutices scriptũ reliquit. Famam tamen quo magis neglexit, eo maiorem consecutus est. Apud maximos uiros summo in precio habitus, præcipue Cæsares: quibus etiam Theriacen Romę præparauit, ut in lib. de Antidotis habetur. Senio tandẽ confectus, in patria requieuit, magnam apud homines gloriam consecutus: maiorem etiam apud deum habiturus, si Christo & Mosi, quorum quandoq; meminit, credere uoluisset. Et hæc quidẽ de autoris uita. Iam ad libri titulũ accedamus. Inscribitur hic liber apud Latinos, accepto à Græcis titulo, Microtechni, id est, Ars parua: quæ inscriptio inscitia accedente seculi, quo græcæ pariter & latinæ literæ pessum ierant, expositores in puariles traxit errores, quos non est operæpreciũ hoc loco referre, quando per teipsum eos & legere potes & negligere. In græcis ferè exẽplaribus Ars medicinalis absolute

De libri titulo

Cal. laborauit morbo

Contemptor laudis

tr. lib. de pulsi. 6.

Vide hic optime exponere quid ars quod omnino optime scivit vt stoicorum nisi mutatio in principio huius de fine ipsius ars optime. fo. 16. Prefatio huius in principio ex positionibus, ergo separatim vbi & de ordine diffinitionum multa contineri. fo. 19. & in Marcellini exposi. fo. 24. ordine optime

lute inscribitur: cui inscriptioni cõsentire Galenus uidetur, cum quinto Salubrium huius libri mentionem faciens, artem medicinalẽ, non artem paruam uocauerit. Sed siue hoc, siue illo modo pręscribatur, exigui momenti res est. Illud potius inquisitione dignum, quare inter tot medicinę cõmentaria à Galeno ædita, artis nomen solus sibi uendicauerit. Ego quidem aliàs putaui nomen artis modo illi docendi proprie cõuenire, quem hoc in libro Galenus seruauit: ut uidelicet illa disciplina per modum artis tradi diceretur, quæ per doctrinã definitiuam esset conscripta: quem modum cum aliàs nunquam Galenus seruasset, ideo hunc librum præter alios artis nomine inscripsisse. Nunc mutaui sententiam, putoq́ ideo uocari artẽ, quod in eo uniuersa medicina cõprehensa sit: unde alij quidem libri à parte artis, quam tractant, uel de curandi uia, uel de elementis, uel de naturalibus potestatibus, uel de ui simpliciũ medicamentorum, uel alio quouis particulari titulo prænotantur, iuxta eam uidelicet artis partẽ cui sunt peculiariter deputati. Hic uero nõ ab re generali nomine artis inscribitur: quoniã in eo non certa aliqua tantũmodo portio, sed ipsa tota ars sub cõpendio traditur. Si quis uero cõtendat, in libro quoq́, qui De cõstitutione medicinalis artis inscribitur, uniuersam pariter medicinam tradi: dicam in eo modũ potius doceri, quo ars medicinalis constituenda sit, quàm artem ipsam: quod Galenus capite eius libri tertiodecimo aperte testatur: et propterea non artem ut hic, sed constitutionem artis inscribi. Sed dicet fortè alius, multa hic quoq́ deesse, ut elementa, humores, dissectiones, simplicia, cõpositaq́ medicamenta, & alia pleraq́ multa artis documenta. Huic non aliter respõdebimus, q̃ ipsius Galeni uerbis, solũ uidelicet capita, & ueluti cõclusiones eorũ quæ alibi demonstrata, hic esse tradita: nihilq́ esse in medicina adeò particulare, & determinatum, quod ad corpora, signa uel causas non referatur: imò nihil esse in medicina, quod ad definitio-

Bona definitio totius artis capita in se cōtinet

nem, quæ assignabitur, non reducat̃. Vt enim ipsemet dicit, totius artis capita cōtinet in se bona definitio. At-

De subiecto

que hæc de libri titulo dixisse sat sit. De subiecto ad fastidium in cuiuslibet libri exordio scribunt recentiores, multa perperàm quasi Aristotelica cōfingentes, ab Aristotelis mente penitus aliena. Quæ cum sint alio loco à nobis declarata, ad dialecticamq́ potius quàm ad medicinā spectent, ab eis in præsentia supersedere satius duxi: duoq́ tantummodo quambreuissime perstringere: unum quidem de totius medicinæ, aliud de huiusce libri subiecto. Diximus igitur quo ad primum, iuxta Galeni sententiam, corpus humanū medicinæ subiectum statui aliquo pacto non posse: subiectum dico considerationis, non operis. Cōueniūt enim omnes, illud subiectum non esse, quod per accidens, & secundario, non per se, & primo consideratur. Tale esse corpus humanum à Galeno capite penultimo libri de partibus artis medicinalis didicimus. Verum autem subiectū secundum eiusdem eodem in loco sententiam sanitas existit, ut quam medicus per se primo considerat, ad quam omnem reliquam refert considerationem, & per quam potius quàm per aliud quoduis ab omni alio artifice separatur. Cum enim medicina ars sit factiua, imò potius refectiua, iuxta eiusdem Galeni sententiā in lib. de medicinalis artis cōstitutione, per id quod reficit, nō per id circa quod operatur, est à cæteris artibus distinguenda, quando & per hoc cæteræ refectiuæ artes distinguuntur: & quidem meritò, cum nihil uetet uarias circa eandem rem reficiendam artes uersari. Vt, exempli gratia, circa domum, alia quidem ars est, quæ imbricū, alia quę parietes, alia quæ pauimenta instaurat, nec inter se domus ipsius consideratione, utpote quæ una est, distinguūtur, sed eius potius ratione, quod in ipsa domo reparatur. Cum igit̃ medicina non corpus humanū facere, sed sanitatē cōseruare, uel reficere possit, aliæq́ artes circa idē humanū corpus, aliud scilicet in eo uel cōseruādo,

uel

uel reficiendo uersari possint, per sanitatē, non per corpus humanum à cæteris est segreganda. Cuius sententiæ fuisse diuus Thomas parte secunda secundæ partis Theologicæ summæ, quæstione prima, articulo primo uidetur, obiectū medicinæ esse sanitatem dicens, quoniam nihil considerat medicus quod ad sanitatē non referat. Primo quoq; posteriorū resolutiuorū, finem artis operatiuæ esse ait subiecti proprij cōstitutionē. Cōstat aūt medicinā sanitatē quidē, non corpus humanū posse construere. Et hæc de subiecto medicinæ in uniuersum nunc dicta sint. Circa libri subiectū in primis aduertendū est, Græcos interpretes scientiarum quidem ipsarum subiecta aliquando perquirere, particularium librorū nunquam, sed scopon & prothesin, id est, propositum & intentionem. Cuius rei tantam esse utilitatē putat Ammonius, ut qui eam ignorat, similē cæco esse dicat nescienti quô ferat. Esse uero scopon, hoc est propositū, aliud à subiecto, nemo est qui nesciat, modo uoces intelligat. Subiectū enim per incomplexā & simplicem, quantū fieri potest, uocem exprimere omnes conantur. Propositum & intentio per plures dictiones ostenditur, inter quas & subiecti nomen plerunq; collocatur. Sed & propositū à subiecto Auerrois in naturalium procemio aperte separauit. Propositum igitur si quis in hoc lib. quærat, Galenus ipse respondebit, propositum eius esse medicinā, alibi per alios doctrinæ modos traditam, per definitiuā docere, sicuti infra in procemij declaratione uidebit. Si quis tamē omnino à nobis cōtendat, ut non scopon, sed subiectū assignemus, ei nō aliud subiectū, nec sub alia ratione assignabimus, q̄ toti medicinæ, hoc est sanitatē: ita ut mirari subeat quorūdā recentiorū, idem quidē subiectum huic libro dantium quod uniuersę arti, sed sub ratione alia secundum affectiones uidelicet communes & generales: quasi eodem modo hic liber uniuersę medicinæ cōparetur, quo liber naturalis auscultationis naturali scientiæ; non uidentes,

ergo nihil aliud est sed tero subiectum quā finis est cui finis seu operatio est sanitas.

nisi vox explicare sed tamen nihil aliud vocat quā explicare.

Galeni in hoc libro propositū.

non principia, communesq; tantum res, sed totam medicinã, licet per capita, & conclusiones, hic pertractari. Quare non recte alij huius libri doctrinã confusam dixerunt, rationẽq; generis habere: quum multa uideamus distincte hic à Galeno determinata, sicut temperaturarũ indicia, & alia non parum multa. In ordine quoque quem quarto loco discutiendũ accepimus, eorum sententiam non probo, qui ultimo æditum, & primo legendum putant. Si quis enim Galeni ingenium consideret, eaq; attẽdat, quæ uel scripsisse se dicit, uel scripturum pollicetur: putare debet eundem ei fuisse cõmentandi finẽ, & uiuendi, ac eum pleraq; post hunc librum & perficere potuisse & incipere: præsertim cum nonnulla eius extent monumẽta, quæ cum fine carere manifeste dignoscantur, post hunc librum fuisse cõscripta, satis est uerisimile, et uideamus eum in huiusce libri fine aliquid adhuc polliceri. Sed neq; eorum, qui secus putant, ratio quicquam concludit, quia uidelicet liber hic est ueluti epilogus: neque enim epilogus breuiariumq; omnium commentationum est, sed duntaxat quarundam. Non esse etiam hunc librum, ut ipsi dicunt, tyrunculis, & arti initiandis anteponendum, tum libri ipsius difficultas, tum Galeni in prooemio & fine sententia, satis possunt demonstrare. In subsidium enim potius memoriẹ, quàm ad iuniorũ introductionem cõpositus uidetur. Non damno tamen gymnasiorum literariorum institutores, qui solũ inter Galeni opera professoribus publice exponendum statuerunt. Cum enim uniuersa eius commentaria doceri nec necessarium foret, neque possibile, hoc præ cæteris elegerũt, quo bene discipulis per præceptores declarato, aditus ad reliqua absq; præceptore addiscẽda facillime patêret: & nõ indigne inter præceptores enumerari eum posse sunt arbitrati, qui hanc bene intelligeret. Sed de ijs nimis multa: iam Galenũ ipsum audiamus.